DE PRAECIPUIS MORBIS NEONATORUM BREVIS RECENSIO QUAM PRO...

Angelo medico Bettini (medico)

DE

PRÆCIPUIS MORBIS NEONATORUM

Brevis Recensio

QUAM

pro Dissertationi Inaugurali

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.RE ALOYSIO SCARENZIO

PHARMACOLOGIAE ET PATHOLOGIAE P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publicae disquisitioni submittit

BETTINI ANGELUS

EX MONTECLARO IN PROVINCIA BRIXIENSI

TICINI REGII

Ex Typographia Bizzoni

1845.

AGLI OTTIMI GENITORI

QUESTO TENUE ED IMMATURO FRUTTO

DE' MIEI STUDJ MEDICI

IN PEGNO DI AFFETTUOSO AMORE

E VERACE RICONOSCENZA

VOLONTEROSO CONSACRO.

Dum in seligendo dissertationis argumento versarer, et incomprehensibilem rerum, quae ad Medicum spectant, varietatem attento contemplarem animo, dubius omnino haesi quam disserendi materiem, quodve argumentum, desideratissima hac die qua laurum temporibus circumduco, e tam divite omnis generis objectorum artis salutaris penu seligerem et typis traderem. Placuit inter istas de praecipuis morbis neonatorum pertractare et quamquam levia esse atque manca et incompleta quae collegi scio, tamen de hoc dicam. Omnes enim sciunt me juvenem esse et hac de causa nemo expectabit me aliquid prolaturum esse, quod acumen ingenii et diuturnam experientiam prolicere posset. Adde quod numquam ad hoc devenissem nisi lege et necessitate coactus. Et ut statim in materiam ingrediar memor ordinem esse animam rerum, hujus gratia triplicem morborum pertractandorum divisionem instituam,

quarum prima vitia congenita amplexura, in ejusdem altera de illis morbis, qui laesionem vel aberationem in executione primarum functionum proxime insequuntur aliquid tangam : ultima demum morbos qui ab ortu ad finem usque lactationis infantibus occurrunt , considerabit.

VITIA CONGENITA.

I. Hydrocephalus. Distinguitur proxime in externum et internum.

Externus sedem suam figit in textu celluloso communis integumenti , vel sub galea oponevrotica, vel inter cranium et pericranium. Primus est tumor mollis, non dolorificus, sub pressione cedens plus minusve diffusus. Secundus magis circumscriptus est, durior, tensus, indolens et sine manifesta fluctuatione. Tertius difficile agnoscitur quia caret signis peculiaribus et cum hydrocephalo interno fere semper decurrit. Originem frequenter repetit suam a natura ipsa et aliquando a violentia externa , a refrigerio improviso , a morsu insectorum. Tractamen hydrocephali externi consistit in fomentis calidis aromaticis , cum vino , spiritu vini , aceto vini etc., quibus remediis, non neglecta levi capitis compressione, frequenter dissolutio impetratur. Sed si morbus adhuc resistit fluidum evacuari potest incisionum ope.

Internus existere potest vel inter cranium et meninges, vel inter meninges et cerebrum , vel in ipsius cerebri cavitates. Si hac cum deformi-

tate foetus vivus ad lucem venit, medicamina in usum trahenda erunt: digitalis cum calomelano copulata, inunctiones mercuriales, balnea alchalina et frigida. Si ope hujus tractaminis post quatuor vel sex hebdomades symptomata morbosa imminuuntur, tunc oportet usum mercurii restringere, ne tenerum corpus exinde capiat detrimentum. Punctura non nisi in casibus desperatis instituenda erit, quia fere semper lethalis evadit. Magis proficua erit compressio capitis ope fasciarum.

II. Hydrorhachia vel spina bifida haud raro in neonatis recurrens, non est nisi collectio aquae plerumque inter velamenta, rarissime in medulla spinali. Comitatur non raro cum imperfecta vertebrarum formatione et ossificatione. Tumor rarius ad cervicem et dorsum cernitur, rarissime in tota columna sed frequentius ad lumbalem regionem, elasticus, mollis, sub pressione evanescens; hac vero sublata iterum prominens, variae formae et magnitudinis, manifeste fluctuans. Hydrorrhachia aliquando hydrocephalo nupta est. Hic morbus usque ad tempora recentiora ab omnibus medicis insanabilis declarabatur. Incisio tumoris juxta Richter lethalis semper evasit. Melius faciunt fasciae et adplicatio remediorum spirituosorum et aquae saturninae.

III. Hydroceles, collectio scilicet humoris serosi in canali testium et funiculi spermatici. Tumor est oblongus, sub situ horizontali disparens, si cum abdomine communicat, et restituitur in

situ verticali. Hydroceles frequentissime occurrit, sed vel plerumque praetervisum transit, vel natura ipsa resorptioni fluidi et concretioni canalis favet. In tractamine observare oportet si fluidum cum cavo abdominis communicet nec ne. Si communicat, postquam fluidum in abdomine inpulsum fuit, fascia hernialis adplicetur et ope modicae pressionis concretio tunicae vaginalis adjuvetur. Altero in casu dissolutio tumoris tentatur cum herbis aromaticis, salis ammoniaci solutione et tandem si adhuc resistit juxta praecepta Dessault fluidum evacuatur punctionis ope, et liquidum aliquod adstringens injicitur ut concretio canalis obtineatur per excitatam phlogosim.

Inter morbos congenitos habemus etiam vitia formationis oculorum, labiorum, linguae, abdominis, organorum genitalium, extremitatum et sic porro.

Oculi vel palpebrae deficere possunt; habere possumus ankyloblepharon, symblepharon, impotentiam oculos claudendi ob brevitatem palpebrarum, defectum iridis, pupillae atresiam, hydropem oculi, cataractam et sic porro, quibus omnibus ophthalmojatriae praeceptis providendum est. Et revera si palpebrae clausae sunt, vitium hoc statim auferre oportet ope divisionis marginum adherentium. Cataracta autem connata et iridis imperforatio tales chirurgicas operationes requirunt, quas prudentia docet ad aetatem majorem demandas.

Nasus vel defficere vel concretionem praebere

potest, ita ut facultas respirandi una cum olfactu vel tollatur vel summe difficilis reddatur. Idem dicas de meatu auditorio externo.

In labiis non raro deformatio peculiaris observatur, labium leporinum sic dictum, quae praecipue in superiore recurrere solet. Nonnullis in casubus simplicem fissuram offert, alias duplicem. Simplex raro periculosum est, duplex autem si cum fissura palati conjungitur (faux lupina) difficile sanatur et mortem plerumque inducit.

In ore adest quandoque sic dicta adhesio linguae, et sistit in eo, ut frenulum linguae vel nimis breve existat vel usque ad apicem semet extendat, suctioni ac deglutitioni impedimenta ponendo cohibito nimirum linguae libero motu. Aufertur hoc vitium ope sic dictae solutionis frenuli.

Inter vitia congenita herniae speciatim medici attentionem requirunt. Inter has enumerantur tantum encephaloceles, omphaloceles et hernia inguinalis.

Encephaloceles tumore se prodit in variis capitis regionibus occurrente, ex protrusione substantiae cerebri per foramen ossium producto, circumscripto et non dolorifico, pressionis ope disparente, infantis clamore adaugente, ad tactum molli. Si comprimitur per aliquod tempus convulsiones excitantur et aliquando apoplexia. Magnitudo et forma valde differentes cernuntur. Herniae tales si voluminosae insanabiles sunt et brevi fiunt lethales: si parvae, reponuntur et per levem

et continuatam pressionem sanatio aliquando obtinetur.

Omphaloceles in protrusione viscerum abdominalium per annulum umbilicalem consistit, sub adspectu tumoris elastici, circumscripti, facilis repositionis. Duplex est vel connatus vel acquisitus. Tractamen: organa prolapsa reponantur et artis adminiculis retineantur usque dum annulus umbilicalis resistentiam validam praebet.

Hernia inguinalis est protrusio viscerum abdominalium per canalem inguinalem, in pueris herniam scrotalem, herniam labii pudendi externi in puellis causans. Cognoscitur ex subito incremento sub clamore, tussi aut nixu, ex possibilitate repositionis. Cura repositione herniae ejusdemque retentione artificiali fasciae hernialis ope impetranda perficitur.

Ad vitia partium genitalium spectat hermaphrodismus, evolutio scilicet genitalium a norma deflectens ut character sexualis vel nullus vel valde suspectus primo intuitu sit. Talibus abnormitatibus sequentes naturae lusus adnumerantur: in androgynis, glans non perforata, penis pusillus, testium in abdominis cavo remansio: in ginnandris, clitoridis excedens evolutio et nymphae tantopere explicatae, ut scroti aemulent formam. In humana stirpe hermaphrodismi perfecti exempla non habentur.

Ad genitalia occurrunt etiam atresiae variae, sic: atresia urethrae sexus utriusque occurrere potest. Apertura urethrae externa vel tenui occlu-

ditur membrana vel canalis pars longior obliterata est. Cura: membrana urethrae ostium externum occludens discinditur; ubi vero glans imperforata, et nulla alia urethrae apertura adest, urethra in inferiori glandis parte perfoditur et concretio nova per filamenta ceroto impregnata inducta cohibetur.

Atresia vaginae primis in annis praetervidetur et ingruente pubertatis tempore demum agnoscitur ob fluxus menstrualis impedimentum. Cum ani atresia aliquando neonati ad lucem veniunt, tunc si hoc vitium innosservatum transit, clamant, abdomen eorum intumescit et tenditur, sub nisu alvi deponendae corporis superficies colore violaceo tingitur imo livescit, spasmi et vomitus intrant, facies collabitur et omnia angoris signa illucescunt. Levamen obtinetur discindens incisura cruciformi membranam ani ostium praecludentem. Sed si concretio in superiore intestini recti parte existit, profundiores indicantur incisiones. Quodsi intestinum rectum non inveniatur anum artificiale aperitur.

Ad extremitates ex haereditate non raro concretiones vel numerus major digitorum proveniunt. Auxilium tunc habetur in discisione vel in disarticulatione digitorum supervacaneorum. Observantur etiam pedum deformationes unde si introrsum sunt versi dicuntur vari; si extrorsum valgi etc., in quibus omnibus primae formationis vitiis tractandis, chirurgia nostri aevi excellit.

MORBI AB ABERRATIONE PRIMARUM FUNCTIONUM PROVENIENTES.

Asphyxia neonatorum. Asphyticus erit illo considerandus, qui nulla aut debilia tantummodo explicat signa vitae, deficientibus tamen mortis characteribus. Status hoc oritur vel sub forma apoplexiae ab impedito sanguinis cursu, vel asphyxiae syncopaticae a vera debilitate productae. Primae signa sunt: facies turgida, caerulescens, oculi rubri et protuberantes, labia et lingua tumida, cutis turgescens, debilitas pulsuum. Secundae symptomata sunt: pallor faciei et corporis totius, maxilla inferior dependens, extremitates frigentes, deficientia pulsationum cordis arteriarumque.

Asphyxia apoplectica observatur in neonatis bene nutritis et excitatur: vel a pressione capitis in pelvi longius per tempus fixe haerentis, vehemente et continuata in partu tardo difficili et faciali, vel a funiculo umbilicali ad collum infantis circumvoluto, vel ex ejusdem compressione aut ligatura ante introitum respirationis, vel a retardata respiratione ope muci in ore aut in larynge accumulati. Asphyxia vero syncopatica observatur in debilioribus, in immaturis, a partu difficili, a ruptura funiculi umbilicalis, ab haemorrhagiis producta. Prognosis generatim eo infaustior est statuenda, quo longius jam per tempus status asphyticus duraverat, auxilio congruo deficiente. Asphyxia syncopatica summo stipatur periculo.

Asphyxia recens neonatorum curam pro origine diversa poscit differentem: apoplectica, si individuus est robustus et bene nutritus, curatur cum resectionem funiculi umbilicalis et antequam subligetur utilis erit extricatio cochlearium duorum vel trium sanguinis. In syncopatica vero depurare statim oportet orem fauciesque a pituita, conspergere faciem et pectus aqua, comprimere alternatim pectus et abdomen, aërem pulmonibus inflare, fricationes extremitatum sedulo instituere. Si infans signa vitae praebet et deglutire valet praebeantur cochlearia nonnulla infusi alicujus herbae aromaticae et postea ubera matris. Si conamina jam per plures horas continuata frustranea sunt tunc infans in lectulum calefactum transferatur, capite elato uni alterove incumbens lateri, diligenter observetur si vitae vestigia in tempore cernuntur.

Tumores oedematosi capitis. In partu si capnt foetus volumen ordinarium excedit, vel pelvis matris angusta est, ob longam commorationem capitis in pelvi ejusque compressionem oritur tumor oedematosus, inquietudinem summam causans et transgressum in phlogosim et suppurationem minans. Tumores talis indolis colorem exhibent fuscum, prominent, molles ad tactum se praebent. Tractantur cum fomentis tepidis aromaticis, et si suppurant cum cataplasmatibus emollientibus et incisione.

Trombus seu *cephalomatoma*. Est accumulatio sanguinis effusi cranium inter et pericranium col-

lecti. Frequentius comitatur partus faciliores quam difficiles, plerumque in latere dextero capitis quam in aliis locis observatur; est circumscriptus, indolens, tensus, irreducibilis, ex quo facile ab hernia capitis distinguitur. Sibi relictus in suppurationem transit, cariem ossium inducit et aliquando mortem apoplecticam. Quapropter opportet curam congruam statim instituere: primis in diebus si sanguis non resorbetur, tumor ipse cultro aperiatur. Resorptio coadjuvatur cum decoctis vinosis corticum adstringentium uti chinae, quercus et sic porro.

Icterus neonatorum. Morbus est neonatos frequentissime infestans, consuetim tertio, sexto aut septimo post partum die adparens, in facie primo et gradatim per omnem cutis superficiem se se prodens, cum urinis flavobrunis. Neonati praecipue ob hepatis functionis praedominium in icterum dispositi sunt. Provenit aliquando a ligatura et dissectura funiculi umbilicalis, a compressione abdominis, et alvi obstipatione. Terapia icteri, causis remotis, sistit vel in diminutione copiae bilis applicatione clysterum, usu syrupi manati aut cichorei, vel in cutis functionibus intendendis ope balneorum tepidorum. Interne calomel hisce in casibus remedium praestantissimum offert.

MORBI INFANTIBUS OCCURRENTES AB ORTU USQUE AD FINEM LACTATIONIS.

Fere infiniti sunt morbi hoc in curriculo vitae infantibus occurrentes et quisquis videt quod res esset nimis longa et humeris meis impar de singulis effusius dicere, quapropter tantum hic dicam de inflammationibus externis et de efflorescentiis chronicis.

Blepharitis, quae in prima vel secunda hebdomade plerumque observatur, incipit cum intumescentia palpebrarum, rubore conjunctivae, secretione muci, quo palpebrae conglutinantur; serius intrat magna photophobia et puriformis materiae saepe ingens quantitas ex oculorum angulis promanat. Originem plerumque repetit a refrigeratione oculorum per aquam frigidam, ab influxu lucis, ab humiditate, a corrupto aëre, a contagio proprio ut observatur frequentius in brephotropheis. Cura instituitur causas auferendo, phlogosim opportune tractando, unde epithemata frigida imponuntur primo ex aqua pura, serius ex aqua saturnina. Phlogosi vehementer saeviente et hirudines ad palpebram inferiorem, et vesicantia retro aures imponuntur; calomel et magnesia interne suppeditantur.

Erysipelas, quae inter primas duodecim vitae hebdomadas comparet, primo restricta inde sensim sensimque ad superficiem totius corporis se se extendit cum partium magno tumore, tensione,

rubedine profunda et livescente, dolore ad levissimam pressionem vehemente. Febris intrat cum cute arida, fervente, gastricis symptomatibus, doloribus colicis, alvo diarrhoica viridi, consociata. Tamquam erysipelatis neonatorum causae noscuntur: aër corruptus, humidus: funiculi umbilicalis ipsiusque umbilici tractamen rude; linteamina humida et immunda, refrigeratio, errores diaetetici, iracundia et terror nutricis. Prognosis in genere infausta est, quia erysipelas ab abdomine ad genitalia facillime transit et in gangraenam ruit. Cura erit accommodata causis excitantibus, sedi, magnitudini, gradui febris. Quare topice hirudines et fomenta sicca, interne sudorifera et evacuantia in usum erunt trahenda.

Ad efflorescentias chronicas demandantur, Tinea, Crusta lactea, aphthae et Intertrigo.

Tinea capitis est impetigo contagiosa afebrilis, capillitium occupans, forma vesicularum aut pustularum prurientium, quae in basi durae, in apice molliores et albescentes sunt, rompuntur progressu temporis et humorem foetentem ac viscidum eructant, in crustam plus minusve friabilem et duram coagulandum. Haec affectio praecipue in scrophulosis observatur el curatur cum inunctione oleosa aut pinguedinosa nec non cum diligente lotione capillitii usque dum crustae amotae sunt.

Crusta lactea efflorescentia est solos fere infantes vexans pustulis albidls ac flavis minimis consistens, quae occnrrunt in genere ad ge-

nas, tempora et frontem, cum magno pruritu comitatae et ruptae in crustas tenues aut crassas ex flavo lacteas transeunt. Decursus durationis indeterminatae est, denique disparet, quin cicatrices remaneant. Causae excitantes sunt: ingorgitatio lactis nutricis aequo crassioris, tegumenta capitis nimis calida etc. Cura primum tendat in causas amovendas: quare prava qualitas lactis nutricis per congruum ejusdem tractamen corrigenda. Juvant etiam interne pulveris Plumeri, calomel cum maguesia et prae caeteris viola tricolor, externe autem emollientia, oleosa et unguenta optime valent ad crustas amovendas.

Aphthae oris, morbum contagiosum membranae muciparae primarum viarum sistunt: plerumque symptomaticum, vesiculis albidis aut coloris margaritacei insignitum, ardorem excitantes et sensim sensimque per totum cavum oris sese diffundentes. Comitatur affectio a febri, diarrhoea, doloribus, ptyalismo etc. Causae praecipuae sunt: immundities, lac corruptum, matris errores diaetetici. Cura: ante omnia noxas causales abigendas et diaetam munditiemque respiciendas habet; cavum oris porro frequenter depuretur necesse est, quod fit praecipue cum digito nudo vel tenui obducto linteo, humectato et saccharo pulverato, aut mele rosarum cum borace veneta; interne decocta emollientia et acida in usum trahenda sunt.

Intertrigo teneros plerumque vexat infantes in eo consistens, quod cutis articulationum regionibus

plicata, uti in fovea axillari et poplitea, inter femora, in ani circumferentia, collo etc. epidermide orbetur humores exsudans. Causae sunt: spurcities, si urinae, sudor et squalor non diligenter abluduntur; porro et prava matris diaeta, lac corrumpens, humores acres reddendo par. Cura summa munditie servanda, lotionibus diligenter iteratis cum aqua tepidula et lacte absolvitur. Praeterea fomenta ex lacte cum aquae calcarae pauxillo adplicari possunt. Remedium bene exsiccans est pulvis inspersioni serviens ex uncia semis Lycopodii et drachm. flor. zinci compositus.

Haec sollicite et festinans de praecipuis morbis neonatorum, more piratae, collexi — nunc, ab aequore infido navem inexpertem reduco et ad portum perago, in posterum, si tempus non urgebit, si ingenium in melius vertere queam, fidentius super fluctus et ampliora vela dabo.

FINIS.

Theses defendendae.

I.

Hilaritas animi saepe optimus medicus.

II.

Nutrices suis domibus suisque negotiis sunt relinquendae.

III.

Formulae nimis compositae medicum nimis simplicem denotant.

IV.

Usus pulveres tabaci per nares trahendi in medico damnandus.

V.

Exanthema miliare in puerperis etiam primarium.

VI.

In metrorrhagiis ultimorum gestationis temporum sacra anchora in tampone habetur.